

ERASMUS ROTERODAMUS OBIISSE CREDITUS AB EURICIO CORDO DEFLETUR

EURICIUS CORDUS CHRISTOPHORO HACO SUO. S.D.

E_1 v.1 Hei mihi, quae noster mala nuntiat, Haece, libellus,
 2 turbida plus solito quam grave musa gemit,
 3 tristior his certe numquam tibi littera venit.
 4 Quam timeo stupida ne modo mente cadas.
 5 Ista per ambages dici tibi nuntia possent,
 6 lentus ut insinuet se dolor ille, velim.
 7 Ne tua dejiciat subitus praecordia terror,
 8 neve animo totus destituare tuo.
 9 Non adeo pavidas umquam perterruit aures
 10 qui fremit immisso desuper igne deus,
 11 quam gravis haec, sed eo gravior, nunc fama sonabit,
 12 tale quod exspectes jam timeasque nihil.
 13 Pristina num pateris redivivi incommoda morbi ?
 14 Haec columis, dicas, est tua Corde manus ?
 15 Sospite te quid erit quod me tam duriter angat,
 16 quo tam deficiens cor doluisse queat ?
 17 Ipse quidem, sed adhuc infirmo corpore, vivo,
 18 et suus instaurat languida membra vigor.
 19 Sed tibi si quisquam defunctum dicat Erasum,
 20 quo tamen haec velles funera corde pati ?
 21 Illud idem est, quid agis ? Turbatane tempora vellis ?
 22 Sauciaque injectis unguibus ora secas ?
 23 Num subitis totas imples ululatibus aedes ?
 24 Numquid humi famulo saepe vocante jaces ?
 25 Fle, lacrima, plora, luge, geme, lamentare,
 26 quaeque potes tanti signa doloris habe.
 27 Tam justae indulge miser et concede querelae
 28 quantus es in tristes i liquefactus aquas.
 29 Quis bonus et verae verus pietatis amator
 30 temperet, et siccis audiat illa genis ?
 31 Continuo quis non oculos exhauriat imbre,
 32 et velut orbatus rugiat usque leo ?
 33 Quis satis in lacrimas Rhenus, quis sufficit Ister ?
 34 Quae vel ubique, etiam totius, unda, maris ?
 35 Ah, infande dolor, proh magni numina caeli.

36 Proh nimium certae tam rata fila colus,
37 crudeles nimium Parcae, nimium impia fata,
38 quae tantum nobis surripuere decus.
39 An veluti quondam falsa haec mendacia speras ?
40 Ah, misero quam spes excidit illa mihi.
41 Hactenus, ut vanae, nolenti credere famaе,
42 illius en testis littera mortis adest.
43 Noricia scribit gravis id Bilibaldus ab urbe.
44 Hanc quantum credis pondus habere manum ?
45 Hoc quoque percussus queritur rumore Melanchton.
46 Venit et hinc deflens talia fata liber.
47 In nigro est omnis doctorum turba colore,
48 et vocat immites terque quaterque deos.
49 Illacrimans dudum tundit sua pectora Langus
50 maestus idem Jonas, et facit Hesus idem.
51 Luget et Urbanus, luget Draco, luget et Ortus.
52 Nnuperque ad Clarias ductus Adamus aquas.
53 Non opus est ut quae mea sint lamenta requiras.
54 Scire potes quo me mors ferat ista malo.
55 Non ita defleti, qui me genuere, parentes.
56 Sic potuit natos plangere nemo suos.
57 Quam mihi carus erat semper, tu testis, Erasmus.
58 Delicias habui quem coluique meas.
59 Ergone conticuit triplicis facundia linguae
60 et jacet infusi spiritus ille dei ?
61 Quod sibi nunc columen labens ecclesia subdet ?
62 Quis priscae adsertor relligionis erit ?
63 Quis restaurabit tua Jesu dogmata vindex ?
64 Dira quis Alcides postmodo monstra feret ?
65 O nullo posthac reparabile tempore damnum
66 jugiter aeternos flenda ruina dies.
67 Hoc ego qua cautum naturae lege putarim ?
68 Quae tamen invidia haec quae tamen ira fuit ?
69 Quod quaedam tot aves, tot brutus saecula cervus
70 vivit, et humani sunt quasi bulla dies ?
71 Et quae sunt meliora, minus diuturna severant.
72 Numquid id indignum dixeris esse scelus ?
73 Heu, ubi cessarunt magni altera munera Phoebi.
74 Huncne putem vatem deseruisse suum ?
75 Vestrum ubi nunc medici, Quintum quod dicitis, illud
76 quod velut aeterna corpora servat aqua ?
77 Nunc tua ubi Aesculapi jacet ars, qua dicitur olim
78 ex lacero factus Virbius Hippolyto ?
79 Si verum est duos quod placant carmina manes,
80 et qua per effusas exiit umbra preces.
81 Quid bona Germani non itis turba poetae
82 dulceque concinitis voce Lyraque melos ?
83 Et blandis fidibus carum revocatis Erasmum ?
84 Deside quid mutum pollice cessat ebur ?
85 Taenarias posita formidine quaerite fauces,
86 quod patuit toties, ite, patebit iter.
87 Squalidus obstiterit praetento navita conto
88 prisca timens pedibus vincula forte suis,
89 non sociam Diti raptum venisse puellam,
90 nec vos Tartareum, dicite, velle canem.
91 Sed tentare deos an ferrea fata moveri.

92 Et fugiens aliquo vita redire queat.
 93 Sic sua Threicio rediit jam frigida conjunx,
 94 heu, data quod caecus foedera rupit amor
 95 ignoscenda quidem cupidum dementia coepit.
 96 Sed potuit parvam sustinuisse moram ;
 97 hac utinam obtentus mihi lege daretur Erasmus
 98 quam timido vellem cautior ire pede.
 99 Ista licet cuperem nimio magis ora tueri,
 100 et nihil in terris tam mihi dulce foret.
 101 Quid Stygiae vobis tanta cum luce tenebrae ?
 102 Non penes infernos hoc decet esse jubar.
 103 Fallor, apud tristes non est hic spiritus umbras.
 104 Possidet aeternum vectus ad astra thronum.
 105 Promeritum divus conscendit Erasmus Olympum,
 106 assidet hic Christo proximus ille deo.
 107 Quem pius expressit, vixit, docuitque magister,
 108 inque suis suavi sparsit odore libris.
 109 Jam novus ad dulces epulas conviva recumbit
 110 immortale bibens, quo juvat usque, merum.
 111 Circumfusa inter sanctae collegia turbae
 112 inter honorandos relligione patres
 113 qui bene de nostra meriti pietate fideque
 114 hunc socium agnoscunt suspiciuntque suum.
 115 Nunc te, docte senex Hieronyme, convenit ille.
 116 Nunc videt et vultus, Maxime Paule, tuos.
 117 Quos, duo restituit caeco quasi lumina mundo.
 118 Pristinus ut rursus surgat ubique nitor.
 119 Despicit ex illis subjectum sedibus orbem
 120 compare dispensans sidera numen ope.
 121 Hunc ego namque deum precibus votisque vocabo,
 122 et stata solemni munere festa colam.
 123 Quod mala si vivum mihi fata videre negarunt,
 124 quo sita sint visam, quod datur, ossa loco.
 125 Hic super arcanum prostratus in ora sepulchrum.
 126 Singultu quatiam saxa solumque meo
 127 cernere erit varias circum pendere tabellas
 128 ista quibus multus busta poeta colet.
 129 Inter eas etiam Cordinae symbola musae
 130 hoc in vicino pariete carmen erit.
 131 Si quis forte subis hujus penetralia templi
 132 hinc procul audacem siste, profane, pedem
 133 aetherea missus Christi legatus ab arce
 134 hic situs hanc sacram fecit Erasmus humum.
 135 Quem sua si digne deberet condere virtus,
 136 non satis haec tellus ipsa nec astra forent.

AD EOANUM HESSUM. ERASMUM VISENTEM

E_2 v.1 Care, vale, dextris et vade volucribus Hesse,
 2 et faveat coeptis quidquid ubique tuis.
 3 Sic te nulla premant infesti sidera caeli,
 4 non pluvia arreptam lubricet aura viam.
 5 Nec te, qui mediis Patriae Mars imminet agris,
 6 impetat, adversus nec ferat arma latro.

7 Is, sed heu, sine me magnum visurus Erasmus,
8 quam cuperem, ut semper, nunc tuus esse comes.
9 Nec gratum prohiberet iter quodcumque molestum.
10 Nulla, vel investem, me retineret hiems.
11 Sed quia longa gravis patior jam taedia morbi,
12 et mea continuus corpora lectus habet.
13 Irrita vota jacent, nec quod desidero possum,
14 non minor id morbo poena dolorque meo.
15 Cernis ut exhaustis jaceam lacrimabile membris
16 haereat in primis ut mihi vita labris.
17 Quid si distuleris donec, quod spero, valescam.
18 Quis novus hic urget sic properare furor ?
19 Praesertim cum jam longis regionibus absit.
20 Nec tibi, quo, constet, quem petis, orbe latet.
21 A crebris ubi se studiosum incursibus abdat
22 grande quod in lucem forte daturus opus.
23 Quis scit an extremos trajecit ad usque Britannos ?
24 Difficile hoc istac sub Jove posse sequi.
25 Differ adhuc propior dum venerit ille, sciasque
26 quo quaeras certe conveniasque loco.
27 Jamdudum exspectans ad veris tempora Moenus
28 gaudet, et hunc etiam poscit adesse virum,
29 nec frustra, veniet, sic advena fama susurrat.
30 Differ in hos iterum te precor, Hesse, dies.
31 Interea ablatas reddent mihi numina vires,
32 et melior, quam qui jam pluit, annus erit.
33 Quod precor, heu, nihil est, sumptis accingeris armis.
34 Stat dubios casus, et stata vota sequi.
35 Si tam certus es hinc proficisci, et tantus eundi
36 impetus, exiguam nil nisi posco moram.
37 Non ita festina, fidi mandata sodalis
38 accipe, necquicquam te mera verba gravant.
39 Si bene res cedet, fueritque inventus Erasmus,
40 nil dubito facilem se dabit ille tibi.
41 Non occlusa piis obsistent limina Musis,
42 quas aditus mittas nuntia ferre tui.
43 Tunc ubi praesentes audire et reddere voces,
44 quaeque cupis missa dicere fronte datur
45 postquam forte suos illi narraris amicos,
46 hac quot eum tamquam numen in urbe colunt,
47 est quoque dic quidam nullo etsi nomine Cordus,
48 qui, scio, plus aliis te vehementer amat,
49 et quodcumque tuum est cupidis amplectitur ulnis ;
50 millenaque legens basiat usque vice,
51 cui stupidam jugis subit admiratio mentem
52 quando videt qua tu dexteritate vales.
53 Et tua quo praestans genio facundia pollet
54 quantus in hac verae relligionis amor.
55 Unus es huic, reliquis quem praeferat omnibus, autor.
56 Nil aliud praeter dulcis, Erasme, sonat.
57 Dicit et ille tibi, quam non habet ipse salutem,
58 teque jubet Pylis saecula valere senis.
59 Quod nisi confectus morbo decumberet aeger,
60 met causae mallet nuntius esse suae.
61 Quam cupit hic etiam tua praesens ora tueri
62 doctoque alloqui posse lepore frui

63 et, modo si tali dignus videatur honore,
64 inter tot, quamvis ultimus, esse tuos.
65 Sic se caelicolis insertum, unaque putabit
66 dulcia perpetui sumere pocla meri.
67 Immortalis enim, per te data, vita manebit,
68 quam nisi tu dederis Cordus habere nequit.
69 Haec memori, quaeso, commenda singula menti
70 teque fac ostendas quem mihi credo, vale.

AD EUNDEM AB ERASMO REVERSUM

E_3 v.1 Gaudeo te salvum post tot mea vota reversum ;
2 fortunaequae favens gratulor, Hesse, tuae.
3 Quod tibi res, ut erat cupido sententia, cessit,
4 nec tantae frustra mensus es aspra viae.
5 Visus et auditus tibi, maximus autor, Erasmus,
6 nobile Germani lumen honosque soli.
7 Conveniunt laeti cupiuntque audire sodales
8 quae nova de tali sit modo fama viro.
9 Quales parturiat post tanta volumina fetus,
10 plus quibus emissis barbara turba fremat.
11 Plurima ridentes jam carta salutat amicos.
12 Evehit elogio littera quemque suo.
13 Non dubium de te bona quin praeconia scribat,
14 et Clarii referat te decus esse chori
15 quam superes omnes hac tempestate Poetas,
16 quos tamen insignes Teutonus orbis habet,
17 o vos felices nimium nimiumque beatos.
18 Talis in aeternum quos decorabit honor,
19 hospita convexo dum pendet in aere tellus,
20 tardaue frigentem circuit ursa polum.
21 Quod modo coepistis manet indelebile nomen.
22 Qua fugit Oceanas Phoebus, et intrat aquas
23 hoc licet indoctum recipi non digner in albo,
24 ex vobis unum me tamen esse velim.
25 Et potui, nisi tu laevus mihi forte fuisses,
26 tene putem famam non voluisse meam ?
27 Hac an sis merito suspectus, nescio, parte.
28 Hoc scio de Cordo fatus es ipse nihil
29 mirum in tot potuit nulla esse occasio cenis,
30 de variis bello sermone rebus erat ?
31 Non puto, Castaliae sed de cultoribus undae.
32 Hoc certe potui corda subire modo.
33 Qui tibi (pone tamen non aequis passibus) ibam
34 unicus ad Phoebi dulcia sacra comes.
35 Unicus in studiis sectator et aemulus istis,
36 quae valeant ipsos conciliare Scythas
37 nedum nos, eadem quos patria jungit et aetas
38 unaque communis gratia paene dei.
39 Qui teneris quondam pueri collusimus annis :
40 alteri et a cunis notus uterque fuit.
41 Esto haec nulla forent, sim factus nuper amicus,
42 te poterant nostrae commonuisse preces.
43 Collige quae lacrimans abeunti verba loquebar,

44 qualis in aegroto sollicitudo fuit.
45 Si modo contigeris, dixi, quem quaeris Erasum
46 tunc quondam Cordi sis memor, oro, tui.
47 Teque fac ostendas qualem mihi credo sodalem.
48 Quae plura audisti. Vis, meminisse potes.
49 Hic quoque finge precor, quo dicta haec singula gestu,
50 quoque habitu, species excidit illa tibi ?
51 Flebile barbicum, flaccum caput, abdita fronte
52 lumina, luctantes terque quaterque manus,
53 his, fateor, motus, quem non adamanta moverent ?
54 Ausus es, Eurici, dicere, facta puta.
55 Sume bonos animos, nihil haec te cura fatiget.
56 Ante mei volo quam non memor esse tui.
57 Nulla tamen nostri ratio neque mentio facta est
58 nullus pollicito Cordus in ore fui.
59 Forte quod extremum te me vidisse putares,
60 jamque Charontaea trans Styga lintre vehi.
61 Quod modo si verum, quod dii vetuere, fuisset
62 debueras vitam restituisset mihi.
63 Haec sine simplicitas, Heli, tuus hic sine candor,
64 haec sine, quam jactas non violare, fides ?
65 Non ita, si potui hoc umquam sperare, dolerem.
66 Non illas merui, dulcis amice, vices.
67 O quoties, ortus de te si sermo ferebat,
68 accensum est laudis pectus amore tuae.
69 Hic vir hic est, dixi, quo non praestantior alter,
70 cui propius dexter numen Apollo dedit.
71 Totaque laverunt complexae labra Sorores
72 et patulas semper constituere fores.
73 Quod magis est, tua plus quam propria fama juvabat,
74 hacque libens cessi, testis es ipse, tibi.
75 Vade per immensum, peragratis omnibus, orbem,
76 quem rapidis claudit Rhenus et Ister aquis.
77 Vade per extremos, hinc Indos, inde Britannos,
78 quosque gelat Boreas, et rigat Auster agros.
79 Non hunc, qui tantum velit et concedat, amicum
80 repperies, nec qui tam tua semper amet.
81 Promptior inventu est qui mordicus impetat osor,
82 turbida cui tristis pectora livor edat,
83 qui doleat meritam victus tibi tradere palmam,
84 nec similes istis tendere posse fides.
85 At tot in aerumnis hilarem ut me reddere posses.
86 Vel rude, quod legerem, saepe poema dabas
87 talibus illecebris ad te me saepe trahebas.
88 Hoc mihi cunctanti pergere calcar erat
89 quo tunc exilii, quo, scis, tunc impete plausi.
90 Nil adeo potuit dulce placere meum
91 non quod ego haec contra de te mihi mutua poscam.
92 Sana est, et nihil hoc indiget ungue cutis.
93 Mutuo se steriles muli velluntque scabuntque.
94 Non ego sic fricui, sic quoque nolo frices.
95 Non ideo Alcaeum quod te voco, posco vocari
96 Callimachus, belle, nil moror, Hesse, tuum
97 nec volo quod mendax aures demulceat Euge.
98 Me proprio, qui sim, metior ipse pede,
99 quae tibi commisi vellem mandata tulisses,

100 atque esset nostro nomine dicta salus
101 scilicet usque adeo non est mihi cornea fibra,
102 quin cupiam tantum me quoque scire virum.
103 Hoc ne turpe mihi, stimulis agitatus eisdem
104 es grave plus toto mense profectus iter.
105 Nec doleo quod nulla istinc mihi littera venit.
106 Oblitum causae te queror esse meae.
107 Non adeo deses, novi, otia ducit Erasmus,
108 ut, mihi quam scribat, non melius quid agat.
109 Incumbens urget potiora negotia moles.
110 Nec vacuum curis pectus habere sinit.
111 Cogitat ut pravis levet hoc a moribus aevum,
112 et redigat lapsam de pietate fidem,
113 totque, vetustorum vindex, errata repurget,
114 expoliat longo quae latuere situ.
115 Vos igitur, tanto quos hic dignatur honore,
116 conferte in socium gaudia vestra sinum.
117 Interea, si quos superi dant amplius annos,
118 ipse sinam tacito nullus abire pede.
119 Hocque ea solabor neglectae incommoda famae.
120 Quod bene qui latuit non male vixit homo.

EURICII CORDI PALINODIA, QUOD MORTUUM ERASMUM SCRIPSERAT.

E_4

EURICIUS CORDUS CHRISTOPHORO HACO SUO.

v.1 Perlege, quid trepidas ? Nihil hic quod triste dolebis,
2 nec tua quod rursus pectora turbet, erit.
3 Quae gravis ante fuit, dum planxit, causa querelae
4 fert bona jam ridens gaudia musa tibi.
5 Scilicet haec, quae tunc movit, lamenta recantat,
6 exhaustasque pio tergit ab imbre genas.
7 Quin igitur potius pesti, laetare, triumphas,
8 et tanti quidquid, pelle, doloris habes.
9 Ille diu nobis obiisse putatus Erasmus,
10 dii faciant centum saecula, vivit adhuc.
11 Vivit adhuc, inquam, verae quod credito famae,
12 quae mendax superis gratia, nuper erat.
13 Certus adest, istinc qui fert haec nuntia, testis,
14 et visum Maiis idibus esse virum.
15 Hisque ab eo dum nos lugemus, scripta diebus
16 exhibet hic pleno bibliopola foro.

17 In nova lugubres abierunt júbila planctus,
18 nil nisi "Io, Phoebi turba, triumphe", sonat.
19 Dicit "Io" quicumque bonas amplectitur artes,
20 et bene Pierio vult, bonus ipse, choro,
21 quicumque, ut graviter nutans ecclesia surgat,
22 paeneque quam factus fabula Christus, amat.
23 Ut cui pura fides, et nostrae dogmata legis,
24 cui sancti mores, castaque vita placet,
25 quodque trucidatis tenebrarum, ut ab Hercule, monstris
26 incipiat tandem clarior ire dies,
27 et sacra quod priscum referat doctrina nitorem,
28 e trucium jam vix eruta fauce canum,
29 sub quorum longa quasi serva tyrannide pressa est,
30 milleque non digne dedecorata modis,
31 quantus in hac regnet, nemo est qui nescit, Erasmus,
32 quamque supra reliquos, quotquot ubique, volet,
33 editior quam quem rabidus contingere livor,
34 atra licet frendens erigat ora, queat.
35 Quem non illa trahat tanto facundia fluxu,
36 nec moveat vincens Attica mella lepos ?
37 Quis satis omnisciae miretur acumina mentis,
38 et tot fecundum dotibus ingenium ?
39 O quae notitia est veterum, quae copia rerum,
40 mirum est haec unum tot potuisse virum,
41 quanta est strenuitas, quanta est industria cernis,
42 quantus inexhausta sedulitate labor.
43 Quis tamen est usquam, quem non pervolverit, auctor,
44 quem non ut digitos calleat ipse suos ?
45 Seu sit hic Hebraeus, seu Graecus, sive Latinus,
46 tot linguas uno, quis putet ? Ore sonat.
47 Quis non excussus cujuslibet angulus artis,
48 quis non est motus pro pietate lapis ?
49 Quod non ille sciat, seu sacrum sive profanum,
50 tam nihil abstrusum est, tam variumque nihil,
51 quae celebrem possent, vel singula, reddere famam,
52 cuncta simul locuples hic bona Croesus habet,
53 nec tamen haec adeo, quantumvis maxima, quam quod
54 consona doctrinae vita sit ipsa, moror,
55 quae vel hypocrito sine, Christo digna, cucullo,
56 teste, quibus niteat moribus, orbe patet.
57 Sed quid in hanc fragili, stultus, rate labor abyssum ?
58 Nil brevis in tanto gurgite contus agit.
59 Rostratis opus est id eunti, classibus aequor.
60 Quae mare non didicit litora cymba legit.
61 Ista levem longe superant praeconia cannam,
62 vocalesque tubas, magnaue sinistra volunt.
63 Hoc est, quemdam alium, qui tantum possit, Erasmus
64 quem timeo numquam postera saecula dabunt.
65 Unicus hic certos dum phoenix clausurit annos
66 nulla potest similem post reparare cinis.
67 Cur magis admiror quod tam non gnava sit aetas,
68 ut velit hoc rarum non modo nosse bonum.
69 Ista nec e longis volet ad spectacula terris.
70 Quam cupiet veniens id potuisse dies.
71 O mihi si liceat tantum olim visere lumen,
72 et carum hoc etiam cernere posse caput,

73 anteque tam praesens vel humi procumbere numen,
74 pronaque in amplexos figere labra pedes.
75 Cetera frustrentur sterilis quae cumque cupido
76 concipit, haec aliquis det rata vota deus.
77 Contigit id forsitan tibi jam doctissime Jona,
78 hunc modo qui visum diceris isse virum,
79 et si, nescio quas, praetexis, ut audio, thermas,
80 illius haec tamquam sit tibi causa viae.
81 Haec eadem quam me scabies prurigoque vexat,
82 nulla quies donec sic quoque et ipse lavem.
83 Quamque libens comes his etiam sub solibus, issem,
84 vel mediis Jani, si licuisset, aquis.
85 At solitas inter, dicas, exercite sordes,
86 cum te non dignis quid tibi munditiis ?
87 Quid commune cani cum balneo ? Age, usque adeone
88 abjectus vobis litterulator ero ?
89 Quae tamen adversa est laevi inclementia fati,
90 quod misero crimen, quae mihi culpa nocet ?
91 Quod tam dilectis adeo contemnor amicis,
92 vilior ut summo non natet alga mari,
93 quod, cum tot celebret tam multa tabella sodales,
94 nomen ibi video semper abesse meum,
95 nullaque solius ratio, neque mentio Cordi,
96 nullus item numerus, nullus et ordo fuit ?
97 Sed mea me ruditas, et iners inscitia prodit.
98 Haec est, cur doctis sordeo, causa viris.
99 Quid tibi cum niveis blaterator oloribus anser ?
100 Nil tuus est istas sibilus inter aves.
101 Si nihil est aliud, facilem meruisse favorem
102 fervidus, in musas quem gero, posset amor,
103 tantus hic ut carus, sit et ipse Vatinius, hostis.
104 Aoniae feriat dummodo plectra lyrae.
105 Dum queror, ecce repens fert exsultatio mentem,
106 et nova perculsum gaudia pectus agunt.
107 Quem tantis dudum desidero cernere votis,
108 et mea quo potuit carmine musa vehit.
109 Ipse Brabantino mihi scribit Erasmus ab orbe,
110 illius en dulcem tracto legoque manum.
111 Ille suos inter Cordum dignatur amicos,
112 seque ait ex animo, nec pudet, esse meum.
113 Quot modo dem toties perlectae basia chartae,
114 quasque putem, censes, hoc mihi pignus opes ?
115 Tam rutilum nonest, adeo quod rideat, aurum,
116 tam custoditum continet arca nihil,
117 hunc ego thesaurum cunctis servabo diebus,
118 has ego delicias semper habebō meas.
119 En, ut ego, accipiens veluti crepitacula pupus,
120 non bene constanti gestio more vides.
121 Da veniam, nimio mihi mens lymphatur amore,
122 ebria me subito corda furore ferunt.
123 Quis velit ad talem non exsultare libellum,
124 tantaque quis tristi gaudia fronte premat ?
125 Jam tibi tam fido carissime gratia Jona
126 quo venit haec nobis missa ferente salus.
127 Scilicet ex illis (vis has nos credere) thermis,
128 quae scatebris mundant omnia foeda suis,

129 paeneque jam totum, diffuso flumine, mundum,
130 qui longa sitiit ariditate, rigant.
131 Unanimi, superest, pulsemus numina voto,
132 illud ut obscuro lumen in orbe sinant.
133 Incolumemque diu nobis tueantur Erasmus,
134 ut sit qui veram monstret ad astra viam.